

# EPISTULA LEONINA

## LVI

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
 CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-XLI INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina.php>

**MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.**

**ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.**

**EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
 QUINQUAGESIMAM QUINTAM (56) !**

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS**

**SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

***Cara Lectrix, Care Lector,***

*valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam quinquagesimam sextam. Studeo nunc hoc periodicum êdere septimanatim. Utinam mihi hoc feliciter succedat, utinam Tibi placeant paginae a me laboriosê exaratae!*

*Hac Epistolâ Leoninâ agitur de Otrifido Preußlero auctore librorum puerilium necnon cuiusdam iuvenilis in Germaniâ celeberrimo.*

*Nuper parentes cuiusdam discipuli, qui sunt "Testes Iehovae", assectatores sectae religiosae, accusaverunt directorem scholae, qui postulavisset, ut omnes discipuli classis septimi spectarent cinema, quod confectum erat secundum argumentum illius libri Preußleriani, c.t. "Krabat". Nam huic operi inesse argumenta magiae nigrae et spiritismi, quae filio suo vehementer nocere possent. Lege, quomodo iudicaverint iudices, postea iudica tu ipse. "Butyrum et mel comede, ut scias reprobare malum et eligere bonum!"*

*Ceterum non solum Raptor Hotzenplotzius a nobis iam pridem est in Latinum conversus, sed etiam Crabatus; at postremus nondum in lucem editus. Nam prelum est pretiosum, et Leo Latinus argyranche laborat (ut utar verbo Auli Gellii) et eius plenus est sacculus araneorum, ut ait Catullus (carm.13).*

**Tu autem pancraticê vale et perge mihi favere!**

**Medullitus Te salutat**


**Nicolaus Groß  
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d. Saturni, 14. m.Sept. a.2013




**ΚΤΗΜΑ ΕΙΣ ΑΙΕΙ**  
**POSSESSIO IN AETERNUM**

**THUCYDIDES**  
**454-399/96 a.Chr.n.**

## Iudicium de "Crabato" factum:

**Institutionem scholarem plus valere  
quam commotiones animi religiosas**



Ecce scaena Crabati finalis: Cantorissa quaerit, qui corvus sit Crabatus.  
Num nocet haec fabula Testibus Iehovae?

Quotannis discipuli legunt *Otfridi Preußleri* fabulam, c.t. *Crabatus* ("Krabat") nec quid detrimenti capiunt. Tamen nuper quidam parentes contenderunt filium suum, si cinema Crabati aspectavisset, detrimentum capturum esse spirituale. Eidem enim, cum esset testis Iehovae, non licere hoc cinema spectare. Nunc iudices iudicii administrationis foederalis (BVGer) iudicaverunt: Crabatum non esse causam discipuli ab institutione liberandi.

Inde ex hōc die Mercurii *Crabatus* persona libri iuvenilis ab Otfrido Preußler scripti habet nonnullos fautores novos maioris momenti. Nam iudices Lipsiensis iudicii administrationis foederalis (BVGer) diudicaverunt: Etiam si in libro scholari necnon in cinemate secundum illius argumentum confecto ageretur de magiâ nigrâ, tamen parentibus religiosis non permitti, ut filium filiamve suam ab institutione liberarent.

Eo ipso iudices foederales comprobaverunt petitionem, qua Rhenania-Vestfalia peteret, ut revideretur sententia iudicii administrationis superioris (OVG) Monasteriensis. Itaque parentibus quibusdam Bocholtiensibus non contigit, ut impedirent, ne filius suus spectaret cinema Crabati in scholâ monstrandum. Parentes enim, qui sunt sectae testium Iehovae asseclae, sentiunt fabulam illam, qua enarrantur pericula Crabati tironis artis molinariae necnon magicae, discrepare a persuasionibus suis religiosis.

Monasteriense iudicium administrationis superius (OVG) petitionem illam filii ab institutione liberandi primo comprobaverat esse aequam, sed

concessisse, ut petitio a foederali iudicio administrationis (BVGer) revideretur. Iudices foederales nunc diiudicaverunt: etsi secundum singulorum discipulorum eorundemve parentium sententiam argumentum institutionis scholaris abhorreret ab illorum persuasionibus religiosis, tamen ideo generaliter non permitti, ut discipulus ab institutione liberaretur.

### **Opus Crabati in scholis Rhenano-Vestfalicis legi solere**

Postulari non posse, ut discipulus ab institutione liberaretur, nisi indigentis discipuli religiosi semper „immineret detrimentum perquam grave“ et „mandatum efficiendi scholare multo minus quam illae tangeretur“.

Ille puer autem non est unicus discipulus, qui in Rhenano-Vestfaliâ Crabatum aut spectaverit aut legerit. Nam hic liber iuvenilis classicus legitur in multis scholis. Itaque îdem etiam inest programmati linguae theodiscae instituendae, quod spectat ad classem septimam illius pueri. Discipulis praescriptum erat, ut cinema Crabati spectarent. Deinde parentes illi petiverunt, ut filius suus a cinemate spectando liberaretur. Cum director, ne fieret casus praecedentiae, recusavisset, parentes anno 2010 ineunte adierunt ad iudicium. Sed primâ in instantiâ coram iudicibus administrationis Monasteriensibus (VG) litem perdiderunt.

Deinde parentes accusaverunt coram iudicio administrationis superiore (OVG) Rhenano-Vestfaliae Monasteriensi. Iudices eiusdem iudicii m.Dec. a.1011 iudicaverunt directori non licuisse petitionem parentum recusare (signum actorum: 19 A 610/10). Parentes intellegibiliter atque persuasibiliter explicavisse se religione suâ vetari ne minimâ quidem spiritismi magiâque nigrae societate contingi.

Iudices illius OVG argumentati erant fieri non potuisse, ut discipulus cinema spectans inter scaenas argumenti magici aures oculosque obtegeret. Praeterea discipulum ante et post cinematis spectaculum libri in institutione tractandi participem fuisse, itaque in hęc casu singulari oportere, ut „mandatum rei publicae erudiendi atque educandi per exceptionem recederet“.

*Signum actorum: BVerwG 6 C 12.12 – d.11. m.Sept. a.2013*

**Hanc relationem d.11.m.Sept., a.2013 in Germanico periodico interretiali, c.t. est „spiegel online“ editam e Theodisco sermone in Latinum convertit Nicolaus Groß praeceptor Sedis interretialis domûsque editoriae, quae appellatur LEO LATINUS: <http://www.leolatinus.com/> Titulus originalis est: „Krabat-Urteil: Unterricht wiegt schwerer als religiöse Gefühle“.**

# CRABATUS SIVE MOLINA SATANICA

## Fabula Otfridi Preußler a Nicolao Groß in Latinum conversa

### 1. Praefanda

#### 1.1 De auctore



Foto: Francis Koenig © Thlenemann Verlag

*Otfridus (Otfried) Preußler* natus est d.20.m.Oct. a.1923 in Bohemiâ. Abiturio superato Otfridus miles factus Bello Mundano altero a.1944 a Russis in vincula coniectus est. Îdem post quinque demum annos, aetate 26 annorum, dimissus est. Feliciter accidit, ut eius cognati et amica fugere possent Rosenhemiam. Idem in oppidum Otfridus iit et eodem anno amicam in matrimonium duxit.

Cum parentes iam essent magistri, Otfridus quoque constituit, ut disceret docere. Ut eo tempore, quo tirocinium magistrale fecit, satis pecuniae mereretur, operabatur munere diurnarii birotâ vehentis fungens et coepit fabellas pueriles scribere pro emissionibus radiophonicis. Ex a.1953 munere functus est magistri et rectoris scholaris.

Otfridus cum factus esset pater trium filiarum, solebat iisdem recitare fabellas a se ipso confictas, ut obdormiscerent. Unam ex iisdem fabellis Otfridus publicavit a.1956: quae inscribitur „*Der kleine Wassermann*“ (Aquariolus). Postea îdem auctor paulatim in claritudinem pervênit. Itaque Otfridus a.1970 a munere rectoris scholaris destitit et factus est auctor lîber. Eiusdem opera clarissima sunt „*Der Râuber Hotzenplotz*“ (Raptor Hotzenplotzius), „*Die kleine Hexe*“ (Magula) necnon „*Crabatus*“.

#### 1.2. Summarium e Wikipediâ excerptum et Latinê redditum

**Krabat** est liber iuvenilis *Otfridi Preußler* a.1971 in lucem editus. Argumentum huius libri confictum est secundum mythum Sorborum sive Venedorum popularem. Eâdem fabulâ narratur de puero Crabato, qui tiro molitoris magistri magici factus et illius maleficiis satanicis obnoxius studet libertatem suam recuperare. Denique amor vincit potestates obscuras.

## Index argumentorum

- 1 Argumentum Crabati
- 2 Quomodo fabula exorta sit
- 3 Praemia
- 4 Adaptationes artificiosae
  - 4.1 Crabatus ad cinemata redactus
  - 4.2 Crabatus auditorius
  - 4.3 Crabatus in dramata et melodramata redactus
- 5 Litterae ad Crabatam spectantes



CLARENCE LUDWIG - WITTE  
www.krabat-blog.de TM & © 2006 FOX and its related entities. All Rights Reserved. Property of FOX.

## 1 Argumentum Crabati

Fabula agitur in Lusatiâ (sorb. *Łužica*) tempore Magni Belli Borealis, de Crabato puero orbato quattuordecim annos nato, qui tiro fit in molendîno, quod situm est in Uligine Coselianâ (*Koselbruch*), prope vicum Nigricolmiam (*Schwarzkolm*). At iam brevi post Crabatus animadvertit hoc molendînum esse scholam magicam, in qua ipse unâ cum undecim discipulis ceteris a Magistro Molitore instituitur arte nigrâ.

In initio Crabato placet tirocinium molitorium idemque magicum. Qui admiratione commovetur potestatis magicæ, quam habeat in alios homines. Necnon in familiaritatem venit sociorum molitoris. Amicus Crabatus familiarissimus fit *Tonda*, socius maior natu, qui sibi fit exemplo. At ne per annum quidem haec amicitia durat, nam Tonda primo iam anno exeunte moritur – dicitur hoc factum esse infortunio – et

proximo anno ineunte novus tiro in locum Tondae succedit. Etiam altero anno exeunte unus e sociis moritur mysterialiter – cuius in locum iterum supponitur tiro novicius. Crabatus paulatim et gradatim perspicit istunc lusum horribilem, cuius ipse particeps factus est: A Magistro Molitore, qui animam suam diabolo oppigneravit, omni anno exeunte unus e discipulis suis immolandus est „Domino Patrino“ („*dem Herrn Gevatter*“). Alioquin sibi ipsi moriendum esset.

Crabatus, ut Tondam amicum suum aliosque socios interfectos ulciscatur, artem nigram quam optimê exercet et denique fit molitoris discipulus omnium optimus. Voluntas autem Crabati confirmatur amore cuiusdam puellae (quae appellatur *Kantorka*, Sorbico nomine praecantatricis cantuum paschaliū); eam clam convenit, sed puellae nomen ignorat.

Denique *Iuro*, unus e sociis, Crabato patefacit esse viam, qua magister superetur: Necessè esse, ut puella Crabatam amans magistrum roget, ut Crabatam dimittat. Examine quod sequitur decertatur, cui moriendum sit: magistro an amantibus. Amantes si superaverint, etiam omnes ceteri socii liberabuntur ab exsecratione molendîni nigri. At exsecratione sublatâ etiam tollentur sociorum facultates magicae, ut iidem nihil sint nisi socii molitores.

Denique magister Crabato aliam quoque viam patefacit: Crabatam posse etiam examine omisso fieri magistri successorem, sed Crabato recipiendum esse contractum cum „Domino Patrino“ factum et loco sui ipsius unum ex aliis sociis immolandum, hîc anno omnique futuro. At Crabatus animo firmo istanc magistri oblationem respuit: se nolle culpam contrahere aut culpae fieri participem interfectione consociorum. Itaque Crabatus unâ cum puellâ suâ eligit viam amoris. Puella autem magistrum cum rogaverit, ut Crabatam dimitteret, a magistro subicitur examini: Cantorcae oculis obvelatis inveniendus est Crabatus amatus inter undecim socios versans. Tum Crabatus timore corripitur puellae amatae: qui sibi videtur in culpâ esse, quod puellae moriendum sit – at Cantorca cum sentiat Crabatam timere de vitâ Cantorcae - non de propriâ – illum ideo agnoscit; quo fit, ut examen superet: Crabatus eiusque consocii sunt liberi. Ultimâ nocte anni moritur magister, molendinum incendio absumitur: - malum victum est amore.

## **2 Quomodo fabula exorta sit**

*Otfridus Preußler* Crabatam scripsit – quibusdam spatiis interpositis – per decem annos. Exemplo sibi fuit quidam Sorbicus mythus Crabati popularis, qui agitur saeculo 17.o exeunte prope vicum Nigricolmiam



(*Schwarzkollm*) in Lusatiâ Superiore (*Oberlausitz*), inter Hoyersverdam (*Wojerecy*) et Camentium (*Kamenz, Kamjenc*) sitam. De tirone, qui debet magistro suo resistere eundemque ad pugnam provocare, in multis aliis mythis narratur, necnon de amore, quo tiro redimitur. Otfridus de libro suo dicit haec:

*„Meus Crabatus est ... mea historia, historia hominum mei coequalium omniumque iuvenum, qui in potestatem eiusque illecebras incidentes iisdem irretiuntur.“*

Prima editio Crabati Otfridiani facta est a.1971 in Aedibus *Arenae*, ex anno 1981 hic liber editur in Aedibus *Thienemannianis*. Imagines et editionis communis et editionis decorissimae a.2005 factae, quae est colore sepiaceo, delineati sunt ab *Herberto Holzing*. Liber Crabati interim conversus est in 31 (triginta unam) linguas. (*Sequetur versio tricesima secunda, quae est Latina! adn. interpretis*).

### 3 Praemia

*Krabat* liber Otfridi Preußler a.1972 honestatus est Praemio Libri Iuvenilis Germanico et Polonico; a.1973 honestatus est „Stilo argenteo Roterodamensi“, i.e. praemio libri iuvenilis Batavico; praemio libri iuvenilis Germanico necnon Polonico; Universitatis Patavinae Praemio Libri Iuvenilis Europaeo; Praemio Associationis Librariae Americanae; a.1977 praemio libri iuvenilis ab unione editorum Polonorum donato.

## 4 Adaptationes artificiosae

### 4.1 Crabatus ad cinemata redactus

Secundum librum Preußlerianum a.1977 a Bohemo *Karel Zeman* sub titulo *Čarodějův učeň* confecit cinema animatum laudatissimum. In versione Theodisca vox magistri molitoris edita est a *Friderico Schütter*.

Marco Krezpaintner dissignante annis 2006-2008 confectum est cinema. Quod primum actum est d.23. m.Sept. a.2008 in cinematêo „*Lichtburg*“ urbis *Essen* et e die 9. m.Oct. in cinematêis Germanicis spectatur.

### 4.2 Crabatus auditorius

- Sub notâ mercatoriâ *Karussell* a.1983 confecta est series ludorum auditoriorum tripertita, in qua *Otfridus Preußler* librum suum recitat.
- A.2008 eodem tempore ac cinema Crabatianum in domo editoriâ *Jumbo* editus est ludus auditorius, quo narratur fabula Preußleriana et interponuntur voces cinematatis originales.

### 4.3 Crabatus in dramata et melodramata redactus

- Melodrama *Krabat* (1982) a *Caesare Bresgen* secundum versionem scaenicam Preußlerianam compositum a.1983 primo in scaenâ actum est.
- A.1994 fabula theatrica a *Ninâ Achminow* composita, quae inscribitur *Krabat*, in Monacensi Theatro Principis Regentis primo acta est.
- M.Maio a.2007 *Friderici (Fredrik) Zeller* melodrama *Krabat* primo actum est in Manhemensi Theatro Nationali, intra programma, quod dictum est *Junge Oper* (melodrama iuvenile).
- A.2001 Crabati argumentum receptum est a grege musico *Stillste Stund* cantico *Mühle mahlt* (Molit molendinum).
- A.2008 grex musicus ASP mythum Crabati cantavit cyclo quindecim canticorum

### 5. Litterae ad fabulam Crabati spectantes

- Otfried Preußler: *Krabat*. dtv, München 1980, [ISBN 3-42325-087-9](https://www.dtv.de/ISBN/3-42325-087-9)
- Otfried Preußler: *Krabat. Schulausgabe mit Materialien*. Thienemann, Stuttgart 1988, [ISBN 3-52214-410-4](https://www.thienemann.de/ISBN/3-52214-410-4)
- Otfried Preußler, Heinrich Pleticha: *Krabat – Lehrerbegleitheft*. Thienemann, Stuttgart 1988, [ISBN 3-52214-450-3](https://www.thienemann.de/ISBN/3-52214-450-3)
- Johannes Diekhans (Hrsg.), Timotheus Schwake: *Otfried Preußler, Krabat*. Schöningh, Paderborn 2007, [ISBN 3-423-25087-9](https://www.schoeningh.de/ISBN/3-423-25087-9) (Unterrichtsmodell in der Reihe EinFach Deutsch)
- Heiko Fritz: *Das Mysterium der Mühle. Mit einer Deutung der Geschehnisse in Otfried Preußlers Roman „Krabat“*. 1. Auflage. Igel, Oldenburg 2002, [ISBN 3-89621-147-1](https://www.igel.de/ISBN/3-89621-147-1)

**Haec hactenus de Crabati fabula et cinemate. Proximo anno futuro in Aedibus Leonis Latini edetur completa versio Crabati Latina. Utinam Tibi placeat!**



**Nicolaus Groß  
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

# DE RAPTORE HOTZENPLOTZIO

Fabula Casparuli

quam theodiscê narravit

**Otfried Preußler**

in Latinum convertit

**Nikolaus Groß**



Editio prima  
in domo editoria, quae appellatur

**LEO LATINUS**

Hic liber habet 136 (centum triginta sex) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 24 (viginti quattuor) paginas. Liber constat 25 € (viginti quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur **LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM**

## De Raptore Hotzenplotzio

Hanc fabulam puerilem Theodiscê scripsit

**Otfried Preußler**

in Latinum convertit

**Nikolaus Groß**

„De Raptore Hotzenplotzio“ (titulus originalis: „*Der Räuber Hotzenplotz*“) est fabula puerilis Otfriedi Preußler Germani auctoris. Haec fabula a. 1962 primum edita est.

Raptor Hotzenplotzius rapinationibus suis audacissimis territat homines totius regionis. Cum iste raptaverit etiam aviae machinulam cofeariam, Casparulus atque Iosephulus indignatissimi statuunt, ut raptorem capiant et tradant astyphylaci Dimpfelmosero. Infeliciter ipsi raptori Hotzenplotzio contingit, ut ambos capiat. Sed quia iidem integumenta capitum inter se permutaverunt, ipsi a raptore inter se confunduntur; ita fit, ut Hotzenplotzius malo mago Petrosilio Zwackelmanno sub nomine Iosephuli vendat Casparulum pro uno tantum sacco tabaci sternutatorii.

Casparulus, cum aliquanto post in castello magico forte fortunâ inveniatur fatam Amaryllidem, quae a mago in bombinam mutata est, non cessat illam adiuvere...

Haec fabula laureata, quae iocorum tam plena est tantamque habet expectationem, ut animi puellarum puerorumque audientium legentiumve vehementer soleant inflammari, usque nunc in triginta quattuor (34) linguas translata erat. Ergo haec versio Latina, quam manibus tenes, cara Lectrix, care Lector, est translatio Hotzenplotzii tricesima quinta eademque Latina. Si Tibi placuerit, commendamus Tibi alias versiones Latinas fabularum modernarum, quae in domo Leonis Latini editae sunt, e.g. “Recitatorem” Bernhardi Schlink (orig. “*Der Vorleser*”) necnon “Fragrantiam” Patricii Süskind (orig. “*Das Parfum*”) fabulas theodiscas veste Latinâ indutas.

Ergo visas, quaesumus, domûs Leonis Latini editoriae situm interretialem:  
**[www.leolatinus.com](http://www.leolatinus.com)**



Otfried Preußler, *Der Räuber Hotzenplotz*  
© 1962 by Thienemann Verlag (Thienemann Verlag GmbH)  
Stuttgart/Wien, [www.thienemann.de](http://www.thienemann.de)

Editio Latina:  
Copyright © 2013 by LEO LATINUS  
[spqr@leolatinus.com](mailto:spqr@leolatinus.com)  
ISBN 978-3-938905-33-3



# ***Recitator***

Fabula romanica  
quam theodiscè scripsit  
**Bernhard Schlink**

in Latinum convertit  
**Nikolaus Groß**



Editio prima  
in domo editoriâ, quae appellatur  
**LEO LATINUS**

Senden in oppido Bavariae Suebicae  
a. 2012

**Hic liber habet 291 (ducentas nonaginta unam) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 91 (nonaginta unam) paginas. Liber constat 45 € (quadraginta quinque euronibus) et directè per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: [SPQR@LEOLATINUS.COM](mailto:SPQR@LEOLATINUS.COM) Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-32-6. TOLLE LEGE !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
QUINQUAGESIMAM SEXTAM**

**EL 56**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE COMPOSUIT**

**d. Saturni, 14.m. Sept. a.2013**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**



**<http://www.leolatinus.com/>**